



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Q. 115. Quandonam censeatur esse periculum vel articulus mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42545

si poenituerint, Viaticum autem non datur, nisi fuerint translatae ad honestam domum, extra illam, in qua pravam vitam egerant.

Non esse dandum illi, qui in articulo mortis nulla dat signa doloris de peccatis, dicitur. n. 657.

623 Q. 115. *Quandomam censeatur esse periculum vel articulus mortis.* R. Periculum mortis est status, in quo homines communiter moriuntur, sive, ex quo mors ut plurimum sequitur, uti quando quis in bello est pugnaturus: Vide tamen dicta n. 585. Articulus mortis tum est, quando mors proximè instat, estque moraliter certa, & ferè inevitabilis, sive ex naturali causa, uti in morbo, sive per sententiam iudicis aliquis sit occidendus; putantque Sor. Valent. Ledes. & alii, quando datur potestas v. g. absolvendi in articulo mortis, non intelligi de periculo, sed oppositum probabiliter tenet Sylv. post resolut. varias orat. 1. De absolut. moribundi. Idem dicit posse fieri in periculo amentiae, quia cum ante mortem non putetur futurus sapiens, est veluti articulus, quo sapiens emoritur.

624 Q. 116. *Quid faciendum, si adsit periculum, ne communicaturus revomat.* R. De hoc dictum est à n. 551.

625 Q. 117. *Quid circa Communionem paschalem sit addendum.* R. seqq.

§. 1. Praeceptum Communionis paschalis tulit Inn. III. in Conc. Lateran., & refertur Cap. Omnis utriusque sexus. 12. De poenit. & remiss. his verbis: Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, constiteatur. &c. suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationa-